DE VOCABULIS GRAECIS IN LINGUAM LATINAM TRANSLATIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
D. XVII M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXVI
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
NATHAN IONAS TUCHHAENDLER
BRODIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
S. BLASCHKE DR. PHIL.
O. DREFKE CAND. PHIL.
C. ROTHE DR. PHIL.

BEROLINI MDCCCLXXVI.

Conspectus.

Praefatio.

Vocabulorum Graecorum in linguam Latinam translatorum collectio cum iam diu desideraretur, Saalfeldii "Index Graecorum vocabulorum in linguam Latinam translatorum quaestiunculis auctus" (Berol. 1874. 8.) nuper in lucem prodiit, huic rei ut subveniret destinatus. Sed multum abest, ut litterae Latinae magnum ex eo fructum ceperint. Saalf. enim cum in indice conficiendo id maxime spectasse videatur, ut ex collectione oblata leges, quae in Graecis vocabulis recipiendis apud Romanos valuerint, erui possent, rem ita instituere, ut historiae linguae Latinae omnino consuleret, plane neglexit. Arripuit enim vocabula ut fors ferebat, tum scriptorem qui primus voce peregrina usus est afferens, tum scriptorem qui eam adhibuit, postquam iam diu in consuetudinem Romanam abiit. Rebus vero ita comparatis illud quoque evenisse, ut omnes locos minime afferret, quamquam in tali incepto res ipsa accuratam enumerationem flagitare videtur, facile apparet. Pessimum autem est eum nulla fere in re sibi constitisse. Partim enim voces e nominibus propriis ductas attulit velut atticisso, graecisso, sicelisso, partim omisit velut bacchari,

bacchanal, phrygio; partim derivata respexit velut dapsiliter, latrocinari, parasitari, triumphare, partim omisit velut more, degrumare, pergraecari. Est in indice Hecyra (vel ut ipse scribit hecyra); desunt quae eodem iure locum sibi vindicant, Adelphi et Phasma. Offeruntur tibi interdum accuratissime vel substantivi casus obliqui vel verbi formae flexae; saepius ubi idem desiderium sciendi te tenet plane desereris. Nonnulla porro, quorum de Graeca origine nemo umquam dubitavit nec ipse sese dubitare professus est, frustra in eius indice quaeres, qualia sunt: anisus, apage, camus, carcinoma, colax (adiectivum dico colax Ter. Eun. prol. 30), cottabus, cymbalisso, discus (quamquam compositum discobolos non est praetermissum), do, dynamis, ne (ναί), sicinnista. Denique nec in tralatis discernendis nec in textu ex quo vocabula sumpsit examinando satis caute egisse mihi videtur.

Pars I.

De rationibus quas in vocabulis ex Graeca lingua petitis constituendis et colligendis secuti sumus.

Caput I.

De consilio nostro in universum disputatur.

Operae igitur pretium videtur hanc rem accuratius tractare, et iusto examine facto quaenam vocabula ex Graeca lingua manaverint [1]), quotquot eorum et ex iis derivatorum in monumentis Latinarum litterarum extant, ea omnia diligenter colligere et in ordinem redigere. Cum vero vires non sufficiant antiquitatem totam uno incessu perlustrare et praestet intra fines exiguos pauca quidem dummodo certa proferre, ab initio litterarum exorsus in Lucilio [2]) nunc substiti. Eam vero potissimum ob causam Lucilium quidem primum huius operis terminum facere mihi visum est, quod ab illo poeta novum quoddam temporis spatium in vocabulis Graecis sumendis initium capere videtur. Nam usque ad illius tempora Graecae voces naturae quadam necessitate per commercium in usum venerunt et modo adhibito a scriptoribus receptae sunt; abhinc vero factum est, ut Romani ipsi eas quaererent et scriptores

1) De iis autem tantum dicam, quae, cum in Romanorum consuetudinem abierint, re vera tralata dicenda sunt. Nam si apud Plautum Graecis verbis iuratur et luditur, vel si ipse Graeca quaedam fingit, haec ad nostram rem non pertinent. In appendice vero his quoque locus dabitur.

2) Collectio autem ex fabulis togatis ut absolvatur, Attam etiam et Afranium adhibui: quod quidem excusatum iri spero.

interdum modum transirent, quod ex Lucilii saturarum reliquiis et Horatii de eo iudicio (Sat. I, 10) clarissime apparet.

Illud vero quod mihi propositum est recte ut absolvatur, firmae quaedam ac stabiles leges in tralatis agnoscendis et colligendis statuantur necesse est. Etenim in tralatis Graecis agnoscendis primum videndum est ne, quod grammaticis ante Grimmii tempora accidit, formarum similitudine decepti ad Graeca ut sua referamus, quae a primis temporibus quibus Graeci et Itali nondum discesserant originem capiunt, quaeque in utraque lingua civitatem iure sibi vindicant. Cognatio igitur linguarum quae dicitur ubique respicienda est. Dum vero illud vitium fugimus, cavendum est ne in contrarium incidamus, ut eodem modo quo viri docti, qui in linguis comparandis versantur, falsa similitudine interdum frustrati ad etyma referamus Sanscritica quae minime illuc referenda sunt. Nam si voces quaedam duarum linguarum eandem quidem speciem externam prae se ferunt, nec tamen idem significant nec notionem ullam cognatam ostendunt, species externa nondum per se valet ad originem communem demonstrandam. Quin si idem vel simile quid significant, ab una eademque stirpe non necessario profectae sunt. Casu enim interdum evenit, ut duae voces soni eiusdem tempore quodam idem quoque in duabus linguis exprimant, at si historiam cuiusque vocis in sua quaque lingua investigaveris, illam vim non propriam a primis temporibus in una vel altera lingua fuisse invenies, documentum igitur cognationis, quod ab utraque parte firmissimum videbatur, ab altera labefieri; sunt voces quaedam, ut multae interiectiones, quae quamquam et forma et vi eandem speciem in pluribus linguis praebent, in unaquaque tamen natae sunt. Ergo non modo forma, sed etiam vis vocum et earum vices in disceptationem vocandae sunt. Quodsi forma et vis omnibus modis consentiunt, tertium denique perpendendum est, an omnino fieri possit, ut ad illas res significandas voces foris petitae sint. Quaedam enim res cum vita populi cuiusque tam arte cohaerent, ut suas neque alienas voces in iis nuncupandis populi habeant necesse sit. Neque id viri docti, qui de his rebus egerunt, satis respexisse videntur. Quibus cum tribus legibus

aliae quoque interdum rationes consociandae sunt, quas in ipsis rebus tractandis suo loco afferre satius est; nunc has exposuisse sufficiat.

In colligendis vocibus id spectandum esse, et ut enumerentur singulae quotiens inveniantur et ut ordo temporum servetur in promptu est. In multis enim quaestionibus, quae ad voces tralatas spectant, multum interest, utrum semel tantum, an pluriens reperiantur, utrum iam apud antiquos scriptores, an apud posteriores demum in usu fuerint. Et eam quidem ob rem neglectam supra Saalf. vituperatus est. Quonam vero modo textu scriptorum utendum est? Evolvamus editiones, quae optimae habentur, easque fidenti animo sequamur? Voce 'chorda' (Saalfeldii ind. p. 23 ex Plauti Most. 743 ed. Ritsch.), ut uno saltem exemplo res illustretur, quidnam fiducia ista valeat, satis docetur. 'Chorda' enim, quod periti non ignorant, emendatio Camerarii est a Ritsch. et aliis editoribus recepta; codices habent 'cor tenditur'. 'Chorda' autem funem vel restim significans [1]) nullo alio exemplo nec ex usu Graecae nec Latinae linguae comprobatur. Quid? Tantine menda librariolorum indoctorum vel levium faciamus, ut emendationibus virorum doctorum in textu constituendo locum non demus? Minime: sed in emendationibus utendis semper memores simus eas emendationes esse et ad nostram rem iterum examinandas, ut certissimae tantum adhibeantur. Etenim aliud mihi videtur editoris ius, aliud eius, qui vocabula ex editionibus colligit: illi plus, huic minus libertatis datum est. Editoris correctiones quippe cum ante oculos omnium positae sint [2]), veri similia a certissimis facile discernuntur, itaque res sicuti sunt offeruntur; quae vero cum in vocabulorum collectione lateant, locus distinguendi, quatenus certitudo pateat, plane deest, et

1) Sunt sane qui vocem de nervo arcus in aliquem intenti, ut eius periculum significetur, intelligi velint. Quodsi 'chorda' hac quidem significatione apud Graecos scriptores interdum invenitur, hoc loco non solum de vi singuli vocabuli sed etiam de dictione 'chordam tendere' metaphorice adhibita agitur, quae a simplicitate Plautini loci aliena esse videtur.

2) Eas scilicet editiones dico, quae solae in lectionibus codicum accurate afferendis dignae sunt quae respiciantur.

iam omnia promiscue certissima venditantur. Interesse autem aliquid inter ea quae veri similia, et ea quae certissima sunt, nemo non videt. Itaque quamquam editionibus optimis, quoad eas nancisci potui, usus sum, hanc tamen legem mihi statui, ut librorum manu scriptorum lectionibus, quae quidem annotatae erant, inspectis emendationes nisi quae certissimae visae sunt in usum meum non converterem. Similiter ex fragmentis tragicorum et comicorum poetarum versus, quorum de auctore non satis vel omnino non constat, non respexi, cum norma mihi deesset, an ad temporis spatium, quo haec disquisitio versatur, pertinerent necne. Malui cautior quam audacior videri. Omnes tamen locos propter incertum textum reiectos in unum congessi, ut, si quid erraverim, facile perspici et corrigi possit. Sed in iis quoque, qui tali fundamento niti mihi videbantur, ut ipsis uterer, rei condicionem, nisi levissimum quid et iam satis per se perspicuum erat, non silentio praetermisi, ut omnia omnibus clarissime pateant.

Ratione igitur exposita qua ad rem sum aggressus, missa supervacanea disputatione de vocibus et lectionibus de quibus non ambigitur, tantum de iis quaeram, quae dubitationem movent, et hoc modo viam ad rectum vocabulorum conspectum mihi muniam. Ac primum quidem de iis, de quibus dubitari potest ex Graeco tractae sint necne, dicam; deinde de iis, quae ob textum vel auctorem incertum a me reicuntur. Disputatio autem de vocibus originis dubiae tripartita erit. Primum de iis tractabo, quas linguae Latinae vindico; tum de iis, quae ex Graeco sumptae mihi videntur; deinde de iis, quas in medio relinquendas duco. Sententias omnium virorum doctorum, qui de his rebus aliquid protulerunt, ubique enarrare et longum est et, cum saepius eadem prolata sint, parum valet; viros quidem celeberrimos Corssenum, Curtium, Mommsenum et unum eorum, qui via ac ratione ea collegit, quae hodie ex linguis Indogermanicis inter se comparatis inter viros doctos satis constat, Fickium dico, plerumque audire sufficiat. Nonnumquam tantum alii quoque respiciendi erunt. Ceterum etiam multorum aliorum sententiae saepius mihi non ignotae fuerunt: *'ἁπλῶς δὲ τὸ μὴ λέγειν, οὐ τοῦ μὴ εἰδέναι σημεῖόν ἐστιν.'*

Caput II.

De vocibus, quae ex Graeca lingua petitae non sunt exponitur.

Iam vero cum animum ad vocabula attendam, quae in disceptationem veniunt, e Graeca lingua non recepta esse mihi videntur haec:

Aranea, gubernare, gubernator, nauta, linter, stega, en, atat, eia, pannus, pus, stilus, scropha, umbo, scipio, classis, calamus, pileus, scutum, fungus, cento, ciceus, falx, fides, funda, lympha, marmor, cupa, bracchium, clepere, muscus, perna, pulmo, saeta.

Quamquam supra de tribus legibus, quae in vocum origine indaganda praecipue consulendae sunt, dixi, vocabula tamen secundum illas leges tribus ordinibus factis investigare non aptum videtur, cum in quibusdam vel duae vel cunctae valeant, vel altera alteri adversetur, vel interdum aliae quoque rationes accedant. Ordinem quoque alphabeticum reieci, qui cum in tali expositione nihil utilitatis habuisset, impedimento fuisset ne vocabula, quae ad idem genus rerum pertinent, sese exciperent vel alia, quae una tractari possunt, componerentur. Itaque quo ordine supra in iis afferendis usus sum, eum servabo. Sed iam singula videamus.

Aranea.

Corss. Ausspr. I, 634—36 Lachmannum quidem secutus, suis vero ac novis argumentis 'araneam' Graeci fontis esse demonstrare studet. Hoc illud est, quod supra significavi, viros doctos interdum magis formam quam rem considerare. Nam quamquam Corssenum non fugit minime fieri potuisse, quin ipsi Romani vocem ad hoc animal significandum haberent, in hoc tamen requiescit vocem vernaculam postea peregrinae cessisse, sicut Latinum aliquod vocabulum Graeco 'poetae' cessit. At pace viri doctissimi dicere mihi liceat rei rationem magis apud me valere quam subtilissimam eius etymologicam ra-

tiocinationem. Nam quaeso, quomodo fieri potest, ut populus in re, quae ad sermonem pertinet quotidianum, vocem sumat alienam, suam plane omittat, ut eius nec vestigium nec vola supersit? Quaenam fuit causa, ut tali rei nomen peregrinum daretur? Corss. exempla affert 'draconem' et 'leonem', qui similiter antiquissimis temporibus in consuetudinem Romanorum venerunt; monet Plinium quidem multa Graeca nomina animalium, plantarum, lapidum usurpare. At res minime sunt comparandae. Age enim accuratius videamus, quomodo et cuius generis vocabula peregrina sumantur. Duo sunt rivuli per quos peregrina ex altera lingua in alteram manant: per commercium et per litteras. Per commercium varia genera intrant. Partim harum rerum sunt, quae ad vitae usum cultumque Deorum pertinent quibusque populus adhuc carebat ut 'purpura', 'Apollo'; partim illarum, quae antea quidem iam in usu erant, sed mutatione aliqua cum ipsis facta quasi novum quid sint accipiuntur, ut 'balineum' 'paenula'; partim denique talium, quae ad ipsam vitam non multum valent, occasione tamen data cognoscuntur et sumuntur ut 'balaena' 'polypus'. Evenit quoque quamquam primis commercii temporibus rarius, ut notiones, quae de mente et ingenio sunt, hac via cum nominibus immigrent. Per litteras notiones et nomina potissimum intrant, quae ad mores et ad artes spectant, ut 'cinaedus' 'sophia', quamquam et tribus illis rerum et nominum generibus supra expositis via per eas patet, praesertim cum scriptores in transferendis libris peregrinis non satis apta vocabula in lingua patria habeant, aut peregrina aliqua fama rerum niteant. Non mirum igitur est Romanos, cum in Latio nec dracones nec leones essent, ubi primum talia esse animalia a Graecis vel Latinis Graece [1]) loquentibus audiverunt, vel, ut iam quinto saeculo urbis fieri potuit, ubi ipsi quidem captos et adductos leones [2]) viderunt, nomen quoque accepisse. Neque minus facile intel-

1) Cf. Momms. Unterit. Dial. p. 86—88 et 89—98. Paulus epit. Festi p. 35 M. "Bilingues Bruttates Ennius dixit, quod Bruttii et osce et graece loqui soliti sunt." cf. etiam Porph. ad Hor. sat. I, 10, 30.

2) Ceterum quid equidem de 'leonibus' sentiam postea dicetur.

ligitur Plinium, cum Graecos scriptores in suum usum converteret, nomina quibus populares indigebant, a Graecis mutuatum esse. At quisnam araneam, animal scilicet, quod nec ex terra aliena importari solet nec tantae est famae, ut in eo laudando scriptores multi sint, nomine peregrino induit? Nonne rectius erit statuere in tali re significanda numquam omnino vocem peregrinam viguisse? Sed esto: adhibuerunt Romani mercatores, qui in Graecia vel in Magna Graecia fuerant, interdum vel saepius nomen peregrinum; adhibuerunt scriptores, qui Graecas litteras didicerant: num credendum est advenam peregrinum civem Romanum plane exterminasse? idque in re, quae sine dubio pusionibus quoque cum nomine patrio haud ignota erat? Quodsi interdum factum est, ut Latina nomina peregrinis cederent, rerum condicio in iis prorsus alia erat. Illa enim ita erant comparata, ut non stabile ac firmum aliquid sed mobile ac mutabile significarent. Itaque cum in iis notandis novae voces peregre sumerentur, notiones quoque rerum ipsis novis vocibus aliqua ex parte mutatae sunt, quin in nonnullis ipsa notione mutata nova significatio tantum praevaluit, ut pristina notione sensim deficiente vox quoque pristina paulatim evanesceret. Quod quidem in 'poetam' a Corss., ut suam fulciret sententiam, allatum valet, non valet in 'araneam'. Nam 'poeta' non omni ex parte idem erat atque ille, qui ante eum alio nomine apud Romanos versus cecinerat; simul cum voce aliena rei notio novum quendam colorem sumpsit, et id quod antea diximus facile evenire potuit, ut prisca notio eiusque significatio in hominum memoria oblitteraretur. Hoc vero in 'araneam' non cadere longa disputatione non eget. In animali enim significando si novum nomen foris assumitur, notio nova veterem offuscans non accedit; duo igitur posthac sint nomina et ambo in lingua valeant necesse est. Quodsi in tali quoque re fit, ut vox domestica pereat, causis quibusdam externis efficitur, quas, quamvis traditae non sint, fuisse opinari, libidinis est. De 'aranea' autem nihil eiusmodi ad nostram pervenit memoriam.

Etymologicae Corsseni disputationi nihil quod opponerem haberem, si fundamentum disquisitionis loco 'c' deperditi 'a'

medium productum esse agnoscerem. Quamquam enim tota disquisitio hoc modo fit, ut productio litterae 'a' ex origine Graeca vocis reperta videatur, re vera ipsa Graeca origo 'a' producto nititur. In aliis enim vocabulis huius generis, quae ibidem tractantur, 'c' deperditum in ceteris vocibus eiusdem radicis apparet: cf. lama, lacus, lacuna; lana, lacere, licium, licinium; rana, rancare; in 'aranea' autem, cum statim ad ἀράχνην recurratur, de 'c' deperdito iure dubitari potest. Mihi quidem videtur id primum demonstrandum fuisse 'araneam' ex Latina lingua originem ducere non posse, aliter enim non video, cur cum Graeco vocabulo componatur necesse sit. Quod si quis dicat vim vocis ex stirpe Latina perspici non posse, leve hoc argumentum est; multae enim sunt voces, quarum origo detegi non potest, quasque nemo eam ob causam ex civitate linguae Latinae detrudit. An ob inanem quandam similitudinem, quae fortuita esse potest, hoc faciamus? Equidem igitur, cum ratio Graecae origini obstet, et etymologia certo fundamento careat, de origine nihil me scire quam rationi vim afferre satius puto.

gubernare, gubernator.

Momms. Röm. Gesch. I, 201 'gubernare' a Graeco sumptum esse contendit. Corss. Ausspr. I, 28 a radice 'kuberno', quae utriusque linguae sit, deducit et 'gubernare' et 'gubernatorem', argumento nitens 'gubernum' et 'gubernium' apud antiquos scriptores Latinos extare. Quae sententia ipsa rei condicione probari mihi videtur, cum Romani, ex quo tempore navibus usi sint, ad eas regendas instrumentum quoque et suum vocabulum certe habuerint. Neque eos antiquis temporibus lintres tantum habuisse 'velum' et 'malus', quae certe Latinae originis sunt, satis demonstrant. Accedit quod in 'gubernatore' forma Latina perspicua est; a Graeco enim si vox sumpta esset, forma 'guberneta' ut 'poeta' 'metreta' cet. evasisset. Quod ad refellendum si quis contendat modo verbum ex Graeco esse petitum, substantivum vero postea in ipsa lingua Latina a verbo peregrino suis legibus natum; fieri id quidem potuit, sed quod ad verbum attinet, ad id quod

supra de usu navium dictum est eum delegamus. Saalf. voces recepit in indice suo verba Lobeckii ex paral. gramm. p. 115 ann. 41 afferens "Graeco πηδόν apositissimum est gubernum, quod ipsum radices suas in Graecia habere videtur propter accentum nominis κυβερνήτης." Quae vero quid ad hanc rem decernendum valeant non intelligo.

nauta.

Curt. Grundz. no. 430 vocem fortasse tralatam dicit; iam iam affirmat Saalf. ind. p. 56. At in Saalfeldii verbis ann. 5 "nautam tralatum esse censeo, quamquam navita quoque forma legitur" nihil argumenti est. Mihi contra et propter radicem, quae in multis linguis Indogermanicis est (cf. Curt. Grundz.), et propter vim Latinum esse videtur.

linter.

Saalf. ind. p. 48 'lintrem' ex Graeco originem ducere existimat et Corssenum, qui aliter censet, hoc modo refutat "Corss. non videtur cogitasse de tralatione Btr. 150 s.; I, 114; II, 271: formam eandem esse Graeci quam Latini vocabuli, vim vero aliam esse dicit; quod accuratius qui comparaverit, concedere non poterit." Equidem rem accuratius comparans concedere possum. Minime enim video, quomodo 'πλυντήρ', quo vas aliquod rebus lavandis significatur, idem sit quod 'linter', qua homines flumen transibant. Est quidem linter apud Catonem et alios scriptores ea significatione, ut vas cavum denotetur; Cat. r. r. 11, 5 'servabit plenas in lintribus uvas'; sed quidni ex cava forma ratis illius generis in vasa cava nomen translatum sit? Sit autem — et mihi quoque verisimilius videtur — lintrem primum in universum rem excavatam significasse et postea demum in genere quodam navium adhibitam esse, num hoc probatur vocem esse translatam? Contra fit. Forma cum in Latina et Graeca lingua eadem sit, vis tantum in eo congruat, quod in utraque res excavata intelligitur, ipsa ea re probatur vocem Graecoitalicam esse, quae postea apud Italos ex notione rei cuiuslibet excavatae praecipue in naves ita factas transferebatur.

stega.

Radix est 'stag'. Hanc quoque vocem rei navalis cum Corss. Ausspr. I, 452, 53 "cum Graece στέγη numquam navis stega" sit, translatam nego. Aliter sentit Saalf. ind. 76.

en.

Particulam 'en' in codicibus quidem Plauti rarissime extare, sed plerumque restitutam ex 'hem' esse a Herm. et Ritsch. satis constat. Rectene fecerint necne, non est huius loci quaerere; nobis de origine videndum est. Hand Turs. II, 367 recte de hac voce iudicasse videtur cum dicat "en ex graeco ἠνί per apocopen factum plurimi perhibent: alii ex hebraeo vocabulo deducunt. At huius generis verba ipsa natura cuiusque linguae suppeditat." Probari quoque potest quod deinde exponit particulam illam ex 'e' monstrativo litera finali 'n' adiuncta originem cepisse. Eandem sententiam et etymologiam secutus est Schoem. Lehre v. d. Redeth. p. 189. Cf. etiam Pott Etym. Forsch. I, 416.

atat, eia.

Mirum est Handium, qui in 'en' explicando vocabula animi affectus significantia peregre peti non solere recte quidem sensit, de interiectionibus 'atat' 'atatae' 'eia' aliter censere et a Graeco usu eas deducere. Quae quidem sententia, quantum scio, apud ceteros quoque viros doctos valet. At similitudinem externam, qua haec sententia nititur, minimi esse momenti mox apparebit, si consideraverimus in natura rerum positum esse, ut iidem simplices animi affectus eosdem simplices sonos apud populos cognatos, id est in animis pari modo institutis, produxerint. Nonne nos quoque eandem fere interiectionem, 'ei' dico, habemus? An quisquam est qui credat nos illud 'ei' a Graecis vel Romanis tandem didicisse? Desinamus igitur in his rebus [1]) diiudicandis formam externam tanti pendere. Sed in 'atat' argumentum etiam ex eo accedit, quod Cato in oratione quadam (Jord. p. 37, 6) hac voce utitur. Peregrinum enim si vocabulum

---

1) Interiectiones vero sicut 'papae' ad simplices illas non pertinent.

esset, nisi ex comoedia Graeca provenire non posset; ex comoedia autem id iam sexto saeculo urbis in consuetudinem sermonis elegantioris adeo abisse, ut in oratione adhiberetur a Catonibus minime speciem veritatis prae se fert. Quodsi illud 'atat' Catonis a locis comicorum segregare velis, eique quidem adversativam vim ex duplicato 'at' tribuere, in comoediis autem hoc negare, quo iure id feceris non video. Omissis enim fragmentorum locis, de quibus accurate iudicari non potest, in Plautinis locis vis adversativa non minus erui posse mihi videtur. Sit igitur 'atat' primitivum, sit — quod veri similius est — ex duplicato 'at' ortum, Graecum certe non est.

pannus.

Curt. Grundz. no. 362 certum iudicium non profert: "Bei pă-nu-s, das auch Geschwulst bedeutet, kann man zweifeln, ob es nicht ein dorisches Lehnwort sei." Corss. Ausspr. I, 278; Krit. Btr. 110 de primitiva forma 'spannus' cogitat. Mihi satis est vim vocabuli non eiusmodi esse, ut peregre venerit. Nam sive ad artem texendi sive ad ulcerationem proprie pertinet, talem rem eiusque nomen ex alia gente importatam esse non facile adducor ut credam.

pus, stilus, scropha, umbo.

Quattuor haec vocabula maxime ob radices, quae in multis linguis Indogermanicis apparent, in Latinis numeranda mihi videntur. Cf. de singulis:

pus rad. 'pu' Curt. Grundz. no. 383; Corss. Ausspr. I, 371.
stilus rad. 'stig' Curt. Grundz. no. 226; Corss. Ausspr. I, 504; Fick Wzwtb. I, 410.
scropha rad. 'scrabh' Curt. Grundz. no. 138; Corss. Ausspr. I, 146, 455.
umbo Curt. Grundz. no. 403; Corss. Ausspr. I, 162.

scipio.

Hic quoque radix Indogermanica, quae est 'scap' vel 'scip' respicienda est: cf. Curt. Grundz. no. 108; Corss. Ausspr. I, 401; Fick Wzwtb. II, 497. Momms. vero Röm. Gesch. I, 200

ex Graeco — a σκίπων — pariter ac sceptrum desumptum putat. Sed plane alia est ratio in duabus his vocibus. Scipionis enim usum Romanos non aeque atque Graecos iam ex antiquissimis temporibus habuisse permirum esset, sceptrum autem notionem vitae cultioris indicans peregre venisse satis probabile videtur. Recte quoque Saalf. ind. p. 73 ann. 8 de tralatione propter vetustam Scipionum gentem non esse cogitandum monuit.

classis.

Radix Indog. est 'c l a'. Cum Corss., qui Ausspr. I, 496 in ann. egregie de hac voce contra Pott Etym. Forschg. II, 376 et Curt. Grundz. no. 29[b] disputasse mihi videtur, Latinae linguae vocem ascribo.

calamus.

Curt. Grundz. no. 29 vocabula eiusdem stirpis ex linguis Indogermanicis affert quidem, calamum tamen fortasse tralatum dicit. Saalf. ind. p. 19 iam pro certo id afferre praesto est. At vis vocabuli huic sententiae certe obstat.

pileus.

Curt. Grundz. no. 364 dubius est; Corss. Ausspr. I, 525 radicem 's p i l' affert, ex qua 'p i l u s', ex 'p i l o' autem 'p i l e u s'. Oppugnat eius sententiam Saalf. ind. p. 64 ann. 28: "pilum (enim) crinem modo significare, πῖλον autem id, quod nos dicimus 'filz, zusammengekrämpelte wolle', deinde accedit quod a graeco πῖλος multa derivata habemus: πιλέω, πίλημα, πίλησις, πιλητικός, πιλητός, πιλίδιον cet. quibus omnibus vis inest "filz". Equidem Corsseno assentiendum puto. Nam cum pilus non modo hominum crinem, sed etiam bestiarum significet (cf. Hor. Ep. II, 1, 45), 'p i l e u m' id esse, quod a pilo provenit quodque Corss. "h ä r e n e r H u t" interpretatus est, non difficile est intellectu. Quin etiam ipsa lana Saalfeldii, illud 'f i l z, z u s a m m e n g e k r ä m p e l t e w o l l e' translatione quadam voce 'p i l o' significari potuit. Quidnam 'f i l z' aliud est quam bestiarum quarundam crines contexti? Quidni inde capitis tegu-

mentum ex lana factum 'pileus' nominari potuerit? 'Pileus' contra ab alio vocabulo, a Graeco 'πίλω', ut est apud Saalf., dictus multas difficultates habet. Nam quaeso, nonne mirandum sit 'pilum' = πῖλον = filz non sumpsisse Romanos, derivasse autem ex eo adiectivum, quod ne Graece quidem extat? 'Πίλεον' enim a Romanis ad Graecos venisse ipse Saalf. ex Pol. 30, 16, 3 affert. Verba autem derivata ab ipso allata nihil aliud nisi lanae illius usum in Graecia frequentiorem quam in Italia fuisse demonstrant, non valent ad originem quaesitam probandam. Mihi igitur 'pilus' idem atque 'πῖλος' ex eadem radice Indogermanica videtur esse et a 'pilo' 'pileus'.

scutum.

Curt. Grundz. no. 113; Corss. Ausspr. I, 353; Fick Wzwtb. I, 208 a radice Indogermanica 'sku' tegere id deducunt, Momms. Röm. Gesch. I, 200 a Graeco 'σκῦτος'. Equidem contra Momms. viris illis doctis ut adsentiar et ob radicem et ob exitum 'um' adducor. Forma 'scutus', quam Nonius p. 226, 13 ex Turpilio servavit, cum semel tantum appareat, non magni momenti est.

fungus.

Corss. Ausspr. I, 161 hanc vocem ad radicem 'svam' propterea negat pertinere, quod ex 'sva' modo 'sua' vel 'so' fieri potuisset; ex Graeco igitur 'σφόγγῳ' sumptum esse contendit. Curt. quoque Grundz. no. 575 ob rationem a Corss. allatam hanc sententiam profitetur. Quibus viris doctissimis ob vim vocabuli non assentiendum puto. Videamus enim, quid fungus significet. Quattuor sunt loci Plautini in quibus extat, quintum adde, ubi adiectivum 'funginus' est; apud alios scriptores usque ad Lucilii tempora non invenitur. Quattuor loci, ubi Plautus substantivo utitur hi sunt: Bacch. 283, 821, 1088; Stich. 773; quintus, ubi adiectivo Trin. 851. Substantivum Bacch. 821, Stich. 773 proprie adhibetur, Bacch. 283, 1088 sensu translato, ut 'fungus' sit 'stultus'. Adiectivum proprie dicitur. Estne igitur vox proprio sensu a Graecis

sumpta? Non videtur. Nam si ex iis fungis esset, qui ad delicatiores res culinarias foris allatas pertinent, indeque nomen traheret, in cibis sumptuosioribus enumerandis huius quoque rei apud Plautum ut muraenarum, congrorum, aliorum cuppediorum mentio fieret. Contra ex Horatiano versu (Sat. II, 4, 20) "Pratensibus optima fungis natura est" speciem quandam huius plantae eiusdem nominis in Italia vilem ac vulgarem fuisse colligi potest. Fortasse enim dictio Bacch. "tantist, quantist fungus putidus" ad vilitatem plantae demonstrandam huc trahi potest. Etenim Plautinum certe esset hominem nihili ioco acerbissimo et vilitate fungi per se et etiam maiore vilitate fungi putidi dupliciter quasi significare. Quamquam verbo 'putidus' provisum est, ut vilitas maneat, etiamsi in ipso fungo sita non est. Quibus rebus vocem proprio sensu translatam esse cum refellatur, eam translato sensu, de quo supra dictum est, migrasse etiam minus cogitari potest, cum Graecorum 'σφόγγον' hoc modo usitatum fuisse ne vestigium quidem extet. Ex primis igitur temporibus Graecoitalorum mihi quidem originem habere videtur. De amisso 's' cf. 'σφάλλω' et 'fallo', de mutatione 'o' in 'u' multa sunt exempla in vocibus Latinis priscae aetatis.

cento.

Quo iure a Saalf. cum Graeco 'κέντρων' componatur nescio. Nam nec vis eiusmodi est, ut facile de translatione cogitandum sit, nec mutatio sonorum. Centones omnes quidem populi ipsi habent; 'κέντρωνα' autem nihilo secius foris petitum Romani certe 'centrum' pronunciavissent, cum e legibus linguae Latinae nihil fuerit causae mutationis. Considerandum etiam est Graecam vocem ea significatione, ut sit aliquid ex pannis compositum, a posterioribus tantum scriptoribus usurpari, ut Graecos a Romanis quam Romanos a Graecis eam accepisse veri similius videatur.

ciccus.

In tali re de tralatione cogitandum non esse ex iis, quae supra de vi vocabulorum saepius dicta sunt, satis apparet. Quam-

quam igitur radicem Indogermanicam ostendere non possum, et 'ciccus' et 'κίκκος' ex communi fonte manasse mihi videntur.

falx.

Cum 'φάλκης' Graecorum aliud quid (cf. Poll. I, 85, 86 "τὸ τῇ στείρᾳ προσηλούμενον") quam 'falx' Romanorum significet, Saalf., qui ind. p. 38 Latinam vocem tralatam existimat, improbandus est.

fides.

Momms. Röm. Gesch. I, 229 de tralatione cogitare videtur. Saalf. vocem affert ind. p. 38. Mihi quidem cum Curt. Grundz. no. 297 et p. 690 res aliter sese habere videtur. De forma Curt. dixit; de vi addam, si sensum proprium vocis spectamus, talem rem peregre non peti perspicuum esse. Nam quod Momms. p. 229 dicit „Die griechische siebensaitige Lyra, die Saiten (fides v. σφίδη Darm; auch barbitus βάρβιτος) ist nicht, wie die Flöte, in Latium einheimisch und hat dort stets als fremdländisches Instrument gegolten" ad translationem ipsius vocis demonstrandam non satis valet. Fieri enim potuit, ut Romani organum illud a Graecis quidem peterent, proprium tamen vocabulum, quamquam ex eadem forte radice quam Graecum, adhiberent. Nam organum illud ex fidibus cum constaret, quid magis consentaneum erat quam patrio nomine 'fides' rem nominare? Barbiti contra alia est ratio, cum nihil nisi ipsum instrumentum indicet.

funda.

Corss. Ausspr. I, 160 ann. et p. 168 ann. vocem ex 'σφονδα' tralatam censet, cui Saalf. ind. p. 39 assentit. Equidem cum Curt. Grundz. no. 296 et p. 494, 690 aliter sentio. Romani enim, si complexus 'sfu' auribus displicebat, facile 'spo' ex eo facto 'sponda', quod plane Latinum sonat, dixissent. Talis mutatio veri similior mihi videtur quam 'funda' 's' abiecto.

lympha.

Saalf. ind. p. 49 cum Momms. Unterit. Dial. p. 256 'lympham' et 'νύμφην' idem esse existimat. Affert quoque Var-

ronis locum l. l. VII, 87 "lympha a nympha cet." Equidem cum Ritsch. opusc. phil. II, 490 propter derivationem 'limpidus' et propterea quod 'lymphae aquae, nymphae deae sunt', 'lympham' linguae Latinae vindico.

marmor.

Cum μάρμαρος apud Homerum saxum tantummodo significet, et radix in lingua Sanscritica eadem significatione extet, — 'mrn-maru' ut Pictetus orig. Indeur. I, 132 affert — cum Saalf. qui vocem assumit non facio. Ceterum ipsa forma civitatis Romanae testis mihi videtur, cum sicut 'βάρβαρος' 'barbarus' factum sit, ita 'μάρμαρος' 'marmarus', vel mutato fortasse genere 'marmarum' evasisset.

cupa.

'Cupam' non esse 'κώπην' neque ansam molarum oleariarum sed vas in quod oleum indebatur, Corss. Ausspr. I, 352 ann. ex locis Catonis de r. r. demonstravit. 'Cupam' igitur ad Sanscriticum 'kûpa-s' pertinere apparet. cf. Curt. Grundz. no. 83[b]; Corss. Ausspr. I, 546; Fick Wzwtb. II, 439.

bracchium.

Persuadere mihi non possum vocem, qua corporis pars indicatur, si peregre venisset, alia via quam per medicos venisse. Cum vero Graeci medici Catonis demum aetate Romae tantum valerent, ut per rem medicam novas voces illatas esse credibile sit, bracchium autem, ut ex Plauto patet, iam antea tritissimum vocabulum esset, quamvis βραχίονι similius quam lac lacti sit, translationem alienam duco. Pertinet certe ad Graecoitalica tempora, neque in tali voce mirum videri potest alias derivationes eiusdem stirpis deesse.

clepere.

Curt. Grundz. no. 58 Graecis et Gothicis vocabulis comparatis radicem omnium communem esse 'klap' ostendit. Idem faciunt Corss. Ausspr. I, 400, 461, 62; Fick Wzwtb. II, 443. Qua de re quam recte iudicaverint monumenta linguae Latinae

ipsa docent. Nam cum vocabulum in viginti sex fabulis ex comoedia Latina satis integre servatis semel tantum offendatur (Plaut. Pseud. 138), in fragmentis exiguis tragoediarum sexti et septimi saeculi quater invenitur, et bis quidem in illis locis metaphorice adhibitum est (cf. Pacuv. 185; Att. 212, 292, 535 Ribb.). A scriptoribus autem tragoediarum alienum fuisse tale vocabulum transferre manifestum est. Ceterum conferendae etiam sunt legum formulae apud Ciceronem et Livium (Cic. legg. 2, 9, 22; Liv. 22, 10, 5). Adde quod 'clepo' non 'clepto' sonat [1]).

muscus, perna, pulmo, saeta.

De quattuor his primum contra Saalf., cuius in indice afferuntur, dicendum est, res, quae iis notantur, non tales esse, quales foris sumuntur. Tum de 'pulmone' iam Curt. Grundz. no. 370 aptiorem formam esse 'plumo' et suffixi vocalem brevem neque longam extare (pul-min-is), si ex Graeco esset, animadvertit. In 'saeta' denique = χαίτη 's' ex 'χ' factum esse non facile cum Saalf. quisquam credet. Omnia igitur Latina sunt.

Caput III.

De iis, quae ex Graeca lingua sumpta sunt, quaeritur.

Transeam nunc ad ea, quae Graecae originis sunt, nisi me omnia fallunt. Sunt autem haec:

Prora, latro, morus, sporta (sportula), calix, fucus, placenta, crapula, socci, elogium, cera, hilarus.

Quorum singulum quodque age mecum consideres.

prora.

Haec vox a Momms. Röm. Gesch. I, 201 et a Lottn. Zeitschr. f. vgl. Spr. 1858 p. 165 in peregrinis numeratur. Corss.

1) 'Clepta' vero postea in tralatis afferretur; alia enim eius condicio est.

Ausspr. I, 453 causa non allata inter voces, quas Latinas existimat, eam enumerat. Mihi et forma vocis originem Graecam aperte ostendere, et vis facile eam pati videtur. Nam cum alia quoque, quae ad perfectiorem statum rerum navalium pertinent, ex Graecia simul cum nominibus esse accita vocibus 'anchora' 'aplustre' demonstretur, et 'proram' inde esse allatam probabile videtur. Etenim facile fieri potuit, ut Romani primis temporibus tam diu quam naves parvae erant ne nomen quidem huius rei haberent, postea vero navibus amplioribus Graecorum exemplo aedificatis ut partem illam proprio nomine, et peregrino quidem, nominare inciperent.

latro.

De hac voce maxime eam ob causam dicendum est, quod in ea virorum quorundam doctorum, qui linguis comparandis operam dant, studium perniciosum radicum Indogermanicarum ubique odorandarum optime deprehenditur. Nam cum forte in lingua Lithuanorum 'latras' hominem maleficum denotet, Lottn. Zeitschr. f. vgl. Spr. 1858 p. 187 vi primitiva Latinae vocis non respecta, quae ex Graeco eam esse translatam clarissime ostendit, 'latronem' cum eo componere non dubitat. Quod quam sit falsum accuratius habes apud Pott. Wzwtb. I, 1293 et apud Curt. Grundz. no. 536. Illorum vero argumenta hoc loco repetere supervacaneum est.

morus.

Pott Wzwtb. I, 283; Pict. Zeitschr. f. vgl. Spr. V, 330; Curt. Grundz. no. 484 de radicis forma dissentiunt, consentiunt de civitate eius Latina. Fick Wzwtb. I, 156 Graecum 'μῶρος' ad 'mura' Sanscriticum refert, Latinum autem 'morus' ex Graeco tralatum sibi videri dicit. Saalf. quoque ind. p. 53 tralatum putat. Quod quidem argumentis ex historia linguae Latinae sexti saeculi petitis comprobari posse arbitror. Ad hebetem enim animi condicionem indicandam apud scriptores illius aevi sexcenties extant voces 'stultitia' 'stultus' 'stulte'; 'stolidus', 'stolide': 'morus' 'more' apud nullum nisi apud Plautum sunt, idque adiectivum ter (Trin.

669, Mil. 672, Menaech. 571), adverbium semel tantum (Stich. 641); substantivum abstractum huius stirpis nusquam invenitur. Nonne hoc documento est alteras voces vernaculas alteras peregrinas esse? Ac ne quis opponat alteras esse obsoletas, ideoque adiectivum et adverbium tam raro usurpari substantivique ne vestigium quidem superesse, compositum illud adiectivum 'morologus' (Pseud. 1264, Pers. 49), quod apertissime Graecum est, monet. Nam quis est, qui non videat, 'morum' et 'morologum' ex eodem fonte venire? Contra Curt. autem opinantem derivata 'morionem' et 'morosum' origini Graecae adversari haec dicenda sunt. Romani saepius ex iis, quae a Graecis sumpserunt, legibus suis alia formaverunt cf. 'Phrygius' et 'phrygio'; 'parasitus' et 'parasitaster' cetera: fieri igitur quoque potuit, ut ex 'moro' 'morionem' ducerent 'i' interiecto, praesertim cum substantivum 'μωρία' iis certe non ignotum esset. Atque hoc etiam considerandum est 'morionem' antiquis temporibus nondum in usu fuisse [1]). 'Morosum' vero ad hanc stirpem non pertinere ipsa vocabuli vis docet, quod rectius cum Corss. Ausspr. I, 432 a 'more' derivabitur, ut 'morosus' is sit, qui 'anxie morem servat'.

sporta (sportula).

Curt. Grundz. p. 705 'σπυρίς, σπεῖρα, σπάρτον', Lith. 'sparta-s' cum 'sporta' 'sportula' componit, quibus omnibus radicem quandam 'viere' significantem subesse opinatur. Quod in Graeca quidem lingua probabile videtur, cum praeter substantiva illa, quibus alia etiam addi possunt, verba quoque huius stirpis habemus 'σπειράω', 'σπειρόω'. Addi etiam potest 'σπείρω', quamquam a Grammaticis tantum allatum. Videmus igitur radicem 'spar' tantum ibi valere, ut, quomodo 'σπυρίς' ortum sit, facile sit intelligendum. In lingua autem Latina praeter 'sportam' et formas deminutivas 'sportulam' 'sportellam' nihil huius radicis invenies, id

1) Forcellino auctore apud Martialem et Plinium demum minorem vox offenditur.

quod, si Romani quoque eam a primis temporibus habuissent, permirum esset, cum in ea notio insit, quae in usu vitae quotidianae saepius adhibenda erat. Perierunt verba: dictu est facile, difficile probatu. Magis igitur veri simile videtur a Graeco originem repetere. '*υ*' in 'o' mutatum in aliis quoque tralatis habemus cf. '*ἄγκυρα*' et 'anchora', '*λάγυνος*' et 'lagona', '*Κυδόνιος*' et 'Cotoneus'. Ultima syllaba '*ις*' in 'ta' mutata inde facile gigni potuit, quod exitus ille auribus Romanorum magis Latinum sonaret. Fortasse etiam ex casu obliquo, ex accusativo '*σπυρίδα*', sumpta est forma 'sporta', quod quidem in nonnullis accidisse satis exploratum habemus (cf. Momms. Röm. Gesch. I, 201; Fleck. Jhb. f. Phil. 90, 11 et 93, 11). Ac talem rem foris sumptam esse non est quod mireris; commercio enim facile fieri potuit.

calix.

Componuntur apud Fick. Wzwtb. II, 437 Indog. 'kalik', Gr. '*κύλιξ*', Lat. 'calix'. Lottn. Zeitschr. f. vgl. Spr. 1858 p. 171 Sanscrit. radicem 'kal' affert additis radicis eiusdem vocabulis Goth. 'huls', Gr. '*κοῖλος*'. Quos vero viros doctos plane fugit nec 'calicem' et '*κύλικα*', quibus vas ad vinum bibendum [1]), res igitur cultioris vitae significatur, priscis Indogermanicis temporibus inveniri ac nominari potuisse, necdum '*κύλικα*' apud Homerum, quamquam saepius nomina poculorum (cf. *δέπας*, *κύπελλον*, *ἀμφικύπελλον*) afferuntur, extare. Quod si quis tamen originem Indogermanicam vel saltem Graecoitalicam statuere velit, nihil ei relinquitur nisi ut dicat singulum quemque populum et Graecum et Romanum ex eadem radice primitiva eadem formationis lege adhibita in eandem significationem suo quemque tempore illas voces formasse. Sed quis est qui tam mirum consensum sibi persuadeat? Facere igitur non possum, quin et rem et vocabulum apud alterum populum originem cepisse, ad alterum migrasse, sumam, atque migrationem, ut in plurimis rebus huius generis

1) Quodsi calix apud Catonem in libro de r. r. genus quoddam lancis significare videtur, e plana forma illorum poculorum ad lances planas nomen migrasse veri simile est.

evenit, a Graecis ad Romanos neque contra factam esse. De mutatione 'υ' in 'a' in ipsa radice exempla quidem non habemus, conferendum tamen est 'condalium' = 'κονδύλιον'.

fucus.

In hoc quoque vocabulo, quoniam rem vitae cultioris denotat, eadem ratiocinatio, qua iam saepius supra ductus sum, Graecam originem ut statuam, me movet. Contra Lottn. Zeitschr. f. vgl. Spr. 1858 p. 173 'fucum' et 'φῦκον' ex communi radice deducit.

placenta.

Corss. Ausspr. I, 637 radicem Latinam 'plac' sumere videtur. Sequor Mommseni sententiam Röm. Gesch. I, 201 ex accusativo Graeco 'πλακοῦντα' Latinum nominativum provenisse.

crapula.

Curt. Grundz. no. 41 tralatum censet; Corss. Ausspr. II, 143 negat, quod in voce translata 'αι' in 'ae' nec in 'a' mutatum esset. Contendit porro ex radice communi 'crap' et Graecum et Latinum vocabulum natum esse. Saalf. ind. p. 27 vocem recepit causa in annotatione allata "cum multa rerum culinarium vocabula a Romanis tralata sint nec non, quae ad potandi genus spectant ut amphora, amystis, cadus, carchesium, cyathus, cymbium, epichysis, hama, lagoena, lebes, lepasta, propinare, scaphium verisimile est tantam copiam bibendi vasorum nominum secutam esse denique crapulam." Facete et recte quidem dictum. Sed hoc etiam contra Corss. dicendum est, quod iam supra de radice 'kal' monui, minime intelligi posse casu factum esse, ut ex eadem radice eadem fere vocis forma eiusdem plane significationis in duabus linguis sponte nata sit. Puto igitur minus aptam illam mutationem diphthongi — ceterum cf. Curt. Grundz. p. 430 — facilius ferri posse quam illam tam mirabiliter consentientem progressionem et formae et notionis.

socci.

Corss. Ausspr. I, 38 vocem Latinam habere videtur. Cum

vero 'socci' idem genus calceamenti significent atque Graecum 'συγχίδες', vocabulum ex Graeco tractum et sermone vulgari, ita ut habemus, esse mutatum maxime veri simile est. Apud Saalf. non affertur.

elogium.

Contra Momms., qui C. i. L. I, 277 vocabulum ab 'eligendo' derivat cum Curt. Ber. d. kgl. sächs. Ges. d. Wissensch. 1864, 1 sqq. et Fleck. Jhb. f. Phil. 1866, 93 p. 29 a Graeca origine — ab 'ἐλεγεῖον' — id repetendum duco. Novas quas afferam rationes non habeo.

cera.

Curt. Grundz. no. 56[b]; Fick Wzwtb. II, 440 ad tempora, quibus Graeci et Romani nondum singuli populi facti erant, vocem referre videntur. Sed cerae usum tunc iam fuisse probabile non est: translatio igitur statuenda. De qua propter 'us' in 'a' mutatum noli dubitare: est enim generis mutatio, quae in tralatis saepius facta est.

hilarus.

Haec vox, quantum scio, in tralatis haberi non solet neque a Saalf. affertur. Derivata multa, quae extant, 'hilarulus', 'hilariter', 'hilaria', 'hilaritas', 'hilaritudo', 'hilarare', 'hilarissare' originis Latinae testes sane esse videntur. At si consideraveris primum sexto saeculo urbis tantum 'hilarum', 'hilare', 'hilaritudinem' inveniri[1]), alia autem posterioribus demum temporibus extitisse; tum formam et vim Graece et Latine omnino esse eandem; denique in ceteris linguis Indogermanicis voces huius radicis non esse, de tralatione certe mecum cogitabis. At nonne Graecoitalica tempora restant? Sane: sed ne ita quidem, cur notio non iam sexto saeculo urbis radices latius egisset in lingua Latina, intelligeretur. Optimum igitur videtur tralationem statuere.

---

1) Vide contra aliam stirpem verborum eiusdem notionis. Extant iam sexto saeculo (ap. Plautum) laetus, laetitia, laetificare, laetans.

Caput IV.
De iis quae in medio relinquo.

